

primæ denegationis auxilii ad dilectionem vel perseverantiam, de qua ibi loquitur; ergo etiam in solutione debet complecti casum primæ denegationis auxilii. Tum etiam, quia ipse D. Thomas se declaraverit, dum immediate in capite sequenti CLX, dicit quod: « Dictum est, in potestate liberi arbitrii esse ne impedimentum gratiæ præstet, competit his quibus naturalis potestas integra fuerit: » ergo declarat se ante locutum fuisse de eo qui adhuc non peccavit, et tamen in potestate sua est impedire vel non impedire receptionem gratiæ (utique actualis, seu auxiliantis:) ergo loquitur de his qui sunt in statu ante denegationem primi auxilii: nam sunt in statu integræ potentiæ naturalis: ergo adhuc supponitur non præcessisse peccatum: ergo nec permissionem ejus seu denegationem auxilii: ergo de illa loquitur.

LXIII. Hoc etiam est argumentum illud antiquum, quod Augustinum movit ad scribendum librum de correptione et gratia; ut manifeste constet non esse aliquod fundamentum nunc negandi efficaciam intrinsecam in decreto et causalitate divina, et recurrendi ad scientiam mediam, et prævisionem consensus mei futuri, quod non viderit et solverit Augustinus, nec tamen ad scientiam mediam voluit divertere, et ad negationem illius intrinsecæ efficaciam, quin potius eam magis in hoc libro, quam in alio affirmat, explicatque uberius, ut patet toto capite duodecimo. Occasionem ergo huic libro præbuit illud ipsum argumentum quod hoc loco solvimus, ut patet in capite quarto illius libri, ubi ponitur adversariorum objectio, quod non debet imputari in culpam, neque corripitur homo, si bonam voluntatem non habeat, si quidem eam accipere debet a Deo: « Recte, inquit, corripitur si eam meam culpam habe-

rem, hoc est, si eam possem mihi dare, vel sumere ipse, nec facerem, vel si dante eo accipere noluissem. » Et statim capite quinto: « Cum ergo et ipsa voluntas præparetur a Domino, cur me corripis, quia vides me ejus præcepta facere nolle, et non potius ipsum rogas, ut in me operetur et velle? » Ecce totum argumentum adversariorum contra efficaciam Dei ex natura sua antecedentem, non autem a nostro consensu pro sua efficacia dependentem.

LXIV. Quid ad hæc Augustinus? Numquid recurrit ad consensum prævisum ex parte nostra, ut efficax reddatur correptio, et auxilium Dei, an potius in ipsum Deum reducit totam efficaciam correptionis, et in nos retorquet malum et impedimentum, si non habemus gratiam Dei? Quid inquam ad hæc respondet Augustinus cum iterum eadem reperit objectionem, quasi nimis molestam in hæc parte, in fine capitis quinti: « Hanc, inquit, charitatem non accepimus, quid itaque corripimur, quasi nos eam nobis dare possimus, et nostro arbitrio dare nolimus? » Quod est dicere, nostro consensu eam efficacem facere possimus; perinde enim est eam dare, atque efficacem facere. Respondet ergo doctor sanctus semper sua culpa non accipere aliquem gratiam, ut videas solutionem D. Thomæ et nostram, ex quo fonte hausta sit. Dicit enim capite sexto quod: « Si aliqui nondum regenerati sunt, et non accipiunt gratiam, ex originali culpa non accipiunt, et sic corripitur in eis origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur, si tamen qui corripitur filius sit promissionis, ut strepitu correptionis forinsecus insonante atque flagellante, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur et velle. Quod si

aliquis sit regeneratus, et justificatus, et in malam vitam sua voluntate relabatur, jam iste non potest dicere non accipi, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio. » Sed quia potest in isto instaurari argumentum, quia licet fidem et dilectionem acceperit a Deo, non tamen perseverantiam, seu auxilium efficax ad perseverandum. Cur ergo corripuntur, si non perseverant? Respondet S. Augustinus supponendo perseverantiam illam esse donum Dei, respondet inquam, capite VII: « Juste eos corripit, quia ex bona in malam vitam sua voluntate mutati sunt; quod utique est recurrere ad culpam concomitantem: illa enim mutatio sequitur ad denegationem auxilii, quo perseverarent. Et tandem id reducit ad secretum prædestinationis Dei, qui voluit dare his perseverantiam, non illis, quia hos, non illos prædestinavit. Cur autem illis non dederit perseverantiam, quibus dedit fidem, ignorare se fateatur Augustinus capite VIII, quia inscrutabilia sunt judicia Dei: id enim ad liberum arbitrium pertinere non potest ut perseveret in bono vel non perseveret. Et hoc quidem ita est loquendo ex parte permissionis divinæ, ejus non sunt quærendæ causæ, quare isti negat, alii dat auxilium suum. Sed tamen quod semper interveniant ex parte nostra impedimentum et culpa concomitans Augustinus jam dixerat, et iterum repetit capite undecimo, urgens argumentum in primo homine et Angelo, cur eis non est data perseverantia, sed permisi sunt cadere, quod utique est loqui de prima permissione et denegatione gratiæ. Respondet autem capite undecimo quod: « Posset primus homo permanere, si vellet, quia dederat adjutorium per quod posset, et sine quo non posset perseveranter manere (id est, auxilium sufficiens)

sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est cujus meritum fuisset, si permanere voluisset. » Et ita concludit non fuisse in illo adjutorium efficax, quo datur non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus, quod non fuit in homine primo, unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Sentit ergo ex culpa sua non permansisse, atque adeo ex culpa sua illud efficax adjutorium non habuisse; quod solum de culpa concomitante verificari potest. Si autem ista efficacior non habetur, nisi ex consensu nostro, ad quid ista omnia docet Augustinus pro solvenda ista difficultate, sed compendio dicere poterat non dari isti perseverantiam, quia etsi detur idem auxilium quod alteri, iste prævidetur consensurus, non ille, et sic iste habet efficax auxilium, non ille. Nusquam hoc dicit Augustinus sed potius ibi capite XII, distinguit auxilium efficax a sufficiente illique tribuit infallibilitatem in agendo voluntatem, ut quamvis infirma non deficeret, etc. ergo Augustinus nusquam sensit ex nostro consensu præviso sumi efficaciam illam, quasi per denominationem extrinsecam; nec enim ad consensum nostrum pro hoc recurrit, sed ad omnipotentiam Dei, ejusque prædestinationem, et decretum, ut patet ibi, cap. VII, XII et XIV.

ARGUMENTUM EX INFLUXU DEI IN  
MATERIALE PECCATI.

LXV. In peccatis duo reperiuntur, alterum pertinens ad defectum, seu privationem, et aversionem a Deo, quod nefas est dicere quod a Deo causetur, qui auctor malorum non est; alterum pertinet ad positivum, quod se habet ut materiale, et



subjectum cui illa privatio et defectus conjungitur. Et de hoc fit argumentum quod nullo modo possit esse ex determinatione efficaci Dei, sed ex determinatione liberi arbitrii creati, et Deus solum offert concursus indifferentem: ergo salvatur aliquis effectus creatus qui non oriatur ex efficaci decreto, ac proinde non repugnabit id ita haberi in aliis effectibus creatis. Quod ergo Deus efficaci suo decreto non determinet ad entitatem illam materialem peccati, probatur, quia hæc determinatio est causa ut voluntas determinate operetur illam entitatem, non eo modo quo exit a Deo, sed eo modo quo exit a causa creata; ad hoc enim in illam agit Deus, eamque determinat, ut ipsa eliciat suo limitato modo talem actum: sed impossibile est voluntatem creatam talem actum, v. g. odium Dei, elicere sine peccato: ergo causa determinans voluntatem ad talem actum antecedenter, et tali determinatione, cui ipsa voluntas non potest resistere in sensu composito, omnino est causa ipsius peccati, quia movet ad id quod sine peccato exerceri non potest, et movet ut eo modo fiat, quo a causa creata exire debet, sub quo modo non nisi defectuose exire potest.

Confirmatur, quia vehementius et fortius influit causa physica in illum actum, quam moralis, quæ solum persuadendo vel præcipiendo potest movere, causa autem physica executive influendo, quod magis intimum est. Sed Deus non potest concurrere ad actum illum excitando, et suadendo, alias esset intentator malorum, quia non aliter excitant homines ad malum, quam persuadendo ad id quod entitatis, et delectationis est in peccato, non ad ipsam aversionem: ergo multo minus poterit Deus ad id physice movere. Quod si Deus excitare non po-

test ad entitatem illius actus: ergo neque potest physice in illud influere, quia influentia Dei physica, ut non tellat libertatem, debet esse motio cum excitatione alias moveret Deus voluntatem, sicut movet lapidem, essetque liberum arbitrium motum, sed non excitatum, quod sufficit ut libere non concurrat. Quod si concurrat modo libero cum voluntate antecedenter movendo: ergo ex nolente objectum peccati facit Deus volentem, sicut e converso quando converti peccatorem, ex nolente facit volentem, et reluctanti studium virtutis immittit, ut Augustinus sæpe dicit. Quis autem audeat dicere Deum ex nolente objectum pravum, reddere volentem? Sic enim homo Deo auctore fieret deterior.

Confirmatur secundo, quia Calvinus, qui posuit Deum sic concurrere ad peccatum, sicut ad opus bonum, et non minus esse opus Dei conversionem Pauli, quam proditorem Judæ, non dixit Deum esse auctorem ipsius peccati, ut aversio, et defectus est, sed ut conversio est ad bonum creatum: ergo si nos ponimus ad id quod positivum est in peccato Deum antecedenter movere, idem ponimus quod Calvinus; et inducimus necessitatem, quia ad necessitandum non alia efficacia major requiritur quam ista quam nos ponimus.

Respondetur hoc etiam argumentum fuisse olim objectum Augustino, ejusque doctrinæ, quasi Deus per potentiam suam homines in peccata impelleret, ut constat ex objectione prima Gallorum et undecima, quibus respondet S. Prosper in responsionibus ad capitula Gallorum. Similiter Faustus lib. 1, cap. XIX, catholicis imponebat quod assererent per voluntatem Dei homines tradi in perditionem. Igitur S. Prosper ad illam primam objectionem,

qua dicebant Galli contra doctrinam Augustini quod ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate homines ad peccata compulsi cogantur in mortem, sic respondet: « Qui prædestinationis nomine factum prædicat, tam non est probandus, quam qui fati nomine veritatem prædestinationis infamat: fati enim opinio vana est, et de falsitate concepta. Prædestinationis autem fides multa sanctorum Scripturarum auctoritate munita est, cui nullo modo fas est eas quæ ab hominibus male aguntur adscribi, qui in proclivitatem cadendi non ex conditione Dei, sed ex primi patris prævaricatione venerunt. »

LXVI. Igitur nos affirmamus quod in peccati malitiam et defectum nullo modo Deus influit, nec efficacia decreti sui est causa, etiam per accidens talis malitiæ, licet sit causa totius entitatis, et effectus, qui in illo actu, in quo est malitia, invenitur. Nam quidquid entitatis creatæ invenitur, ubicumque id invenitur, et cuicumque defectui conjunctum sit, ita esse a prima causa Deo derivatum et causatum, certum est, quam certum Deum esse factorem omnium visibilium, et invisibilium, et omnia per ipsum facta esse, et omnia in ipso constare, quæ sunt propositiones immediate de fide. Unde fit syllogismus demonstrativus theologicus: Omnia quæ quomodocumque sunt, seu entitates sunt, et habent esse reale, a Deo sunt; qui enim dixit omnia, nihil exclusit: sed entitas actus peccati est aliquod esse reale existens in rerum natura: ergo a Deo est. Consequentia est in darii. Minor constat naturali lumine, et ipsa experientia, quæ tot actus peccatorum videmus, qui si reale esse non haberent, in rerum natura non darentur. Major autem est de fide. Dicere au-

tem quod omnis entitas est a Deo causata, vel permissa, non autem omnis entitas est causata, sed illa tantum quæ defectum annexum non habet, hæc enim ratione defectus annexi permissa est, non causata. Hoc inquam dicere, est plane verbis ludere, sine ulla rei significatæ subsistentia. Nam implicat entitatem aliquam acquirere verum, et reale esse extra causas per nudam permissionem, et sine influenza positiva, cum permissio sit sola suspensio agendi, et derelictio, quæ est pura negatio, implicat autem quod sola, et pura negatio det esse reale, quod solum dari potest per influxum positivum. Est ergo repugnantia manifesta, quod aliqua entitas quæ veram existentiam habet, in quantum talis sit permissa, et non causata a Deo, licet quoad defectum non possit a Deo causari, sicut motus obliquus tibiæ in quantum modus vitalis est, repugnat quod non sit ab anima: ergo illa entitas, ut entitas, eodem modo est a Deo, quo reliquæ creatæ entitates. Quod si timetur ex influxu antecedenti, et efficaci quod Deus reddatur auctor peccati, eodem modo erit adjutor, si tantum concurrat simultanee ad illum actum, non minus autem repugnat Deo adjuvare ad peccatum aut cooperari, quam antecedenter influere. Et ideo S. Thomas in II, dist. XXVII, q. II, art. II: « Opinionem dicentem, quod actus peccatorum in quantum actus non sunt a Deo, propinquissimam errori esse dicit. » Nec solum Deum esse cooperatorum talis entitatis, et influxu simultaneo influere, sed etiam antecedenti, dum inquit quod: « Si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cujus auctor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principii haberet. » Sentit ergo D. Thomas quod in entitate illius actionis Deus